

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SECUNDVS

### PASTOR PRODITOR IN LAPIDEM MUTATVS INDICEM

Cum pecus pasceret Apollo, fistulae cantu curam protegens amoris, boves eius in agros progressae sunt alienos, quas Mercurius perspexit, furtimque occultavit in silva. Quod cum pastor quidam senex vidisset, ut indicium premeret, ex armentis formosissimam ei vaccam concessit Mercurius. At ille discedenti affirmavit deo lapidem proximum, quem vidisset, celerius quam se quicquam indicaturum. Mercurius vero, ut eius fidem experiretur, paulo post, specie mutata, ad eundem reversus, simulavit se amissas quaerere boves, praemiumque promisit, si demonstrasset. At deus, cum, sub quo monte pascerentur, ostendisset ille, perfidia eius offensus, eum in lapidem mutavit, qui ex eo eventu 'Index' vocabatur. Incipit fabula, Apollonem alloquente poeta:

- 680 Illud erat tempus, quō tē pāstōria pellis  
tēxit, onusque fuit baculum silvestre sinistrae,  
alterius dispār septēnīs fistula cannīs.  
Dumque amor est cūrae, dum tē tua fistula mulcet,  
incūstōdītāe Pyliōs memorantur in agrōs  
685 prōcessisse bovēs. Videt hās Atlantide Māiā  
nātus, et arte suā silvīs occultat abāctās.  
Sēnserat hoc fūrtum nēmō nisi nōtus in illō  
rūre senex (Battum vīcīnia tōta vocābant).  
Dīvitis hic saltūs herbōsaque pāscua Nēlēi  
690 nōbiliumque gregēs cūstōs servābat equārum.  
Hunc tenuit, blandāque manū sēdūxit, et illī :  
'Quisquis es, hospēs,' ait, 'sī forte armenta requīret  
haec aliquis, vīdisse negā ; neu grātia factō  
nūlla rependātur, nitidam cape praemia vaccam.'  
695 Et dedit. Acceptā, vōcēs hās reddidit hospēs :  
'Tūtus eās ! Lapis iste prius tua fūrta loquētur.'  
Et lapidem ostendit. Simulat Iove nātus abīre.  
Mox redit et, versā pariter cum vōce figūrā :  
'Rūstice, vīdistī sī quās hōc līmite', dīxit,  
700 'īre bovēs, fer opem, fūrtōque silentia dēme !  
Iūncta suō pretium dabitur tibi fēmina taurō.'  
At senior, postquam est mercēs gemināta : 'Sub illīs  
montibus', inquit, 'erunt' (et erant sub montibus illīs).  
Rīsīt Atlantiadēs, et : 'Mē mihi, perfide, prōdis ?  
705 Mē mihi prōdis ?' ait, periūraque pectora vertit  
in dūrum silicem, quī nunc quoque dīcitur index,  
inque nihil meritō vetus est infāmia saxō.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SECVNDVS

### SOROR INVIDA IN SAXVM CONVERSA

Mercurius, in amorem haerens apud Hersem, Cecropis, Attici regis, pulcherrimam filiam, ab Aglauro, sorore eius aemula, impediabatur, quae pro suo ministerio eum aurum poposcerat. Cuius avaritia simul offensa, Minerva ad ulciscendum illi misit Invidiam, quae diu ac vehementer excruciatam in lapidem eam paulatim rigidavit. Versibus insequentibus poenam ac supplicium summo colore illustrat poeta, cruciamenta sub oculos cuncta per singula subiiciens. In Aglauri cubiculo munus aggreditur suum Invidia:

Sed postquam thalamōs intrāvit Cecrope nātae,  
iussa facit, pectusque manū ferrūgine tīctā  
tangit, et hāmātīs praecordia sentibus implet,  
800 īnspīratque nocēns vīrus, piceumque per ossa  
dissipat, et mediō spargit pulmōne venēnum.  
Nēve malī causae spatium per lātius errent,  
germānam ante oculōs fortūnātumque sorōris  
coniugium pulchrāque deum sub imāgine pōnit,  
805 cūnctaque magna facit ; quibus irrītāta dolōre  
Cecropis occultō mordētur, et anxia nocte,  
anxia lūce gemit, lentāque miserrima tābe  
līquitur, ut glaciēs incertō saucia sōle,  
fēlīcisque bonīs nōn lēnius ūritur Hersēs,  
810 quam cum spīnōsīs īgnis suppōnitur herbīs,  
quae neque dant flammās, lentōque tepōre cremantur.  
Saepe morī voluit, nē quicquam tāle vidēret,  
saepe velut crīmen rigidō narrāre parentī.  
Dēnique in adversō venientem līmine sēdit  
815 exclūsūra deum. Cuī blandīmenta precēsque  
verbaque iactantī mītissima : ‘Dēsine !’ dīxit,  
‘hinc ego mē nōn sum nisi tē mōtūra repulsō.’  
‘Stēmus’, ait, ‘pactō’, vēlōx Cyllēnius, ‘istō !’  
Caelestīque forēs virgā patefēcit. At illī,  
820 surgere cōnantī, partēs, quāscumque sedendō  
flectimur, īgnāvā nequeunt gravitāte movērī.  
Illa quidem pūgnat rēctō sē attollere truncō,  
sed genuum iūctūra riget, frīgusque per unguēs  
lābitur, et pallent, āmissō sanguine, vēnae.  
825 Vtque malum lātē solet immedicābile cancer  
serpere et illaesās vitiātīs addere partēs,  
sīc lētālis hiems paulātīm in pectora vēnit,  
vītālēsque viās et respīrāmina clausit.  
Nec cōnāta loquī est, nec, sī cōnāta fuisset,  
830 vōcis habēbat iter : saxum iam colla tenēbat,  
ōraque dūruerant, sīgnumque exsanguē sedēbat.  
Nec lapis albus erat : sua mēns infēcera illam.  
Hās ubi verbōrum poenās mentisque profānae  
cēpit Atlantiadēs, dictās ā Pallade terrās  
835 linquit, et ingreditur iactātīs aethera pennīs.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER TERTIVS

### IN ANICVLAM VERSA IVNO IOVEM VLTA INFIDVM

Iuno suspectam Semelem, Cadmi et Harmoniae filiam, cum haberet, quod cum Iove concubisset, in anum conversa, ut se clam ceteris deis ulcisceretur fallacia, ad eam venit, cui persuadet, ne alio Iovem apparatu recipiat ad cubile, quam quo solitus sit apparere Iunoni. Quae omnia eo fecit consilio, ut divina vis ac vehementia ei exitio, et perinde Iovis adulterium perspicuum esset omnibus. Quo impetrato, Semele cupiente, ut faceret deus, tonitribus ac fulminibus ornatus eius ingressus est domum, et tecta deceptae flammis adurit optatis, Bacchumque conceptum utero gravidae incendio eripit, ac femori insuit suo. Postea, mensibus completis, nymphis, quae Nysam perfrequentabant montem, tacite tradidit nutriendum infantem.

Sōla Iovis coniunx nōn tam, culpetne probetne,  
ēloquitur, quam clāde domūs ab Agēnore ductae  
gaudet, et ā Tyriā collēctum paelice trānsfert  
in generis sociōs odium. Subit ecce priōrī  
260 causa recēns, gravidamque dolet dē sēmine magnī  
esse Iovis Semelēn. Dum linguam ad iūrgia solvit :  
‘Prōfēcī quid enim totiēns per iūrgia ?’ dīxit,  
‘Ipsa petenda mihi est ; ipsam, sī māxima Iūnō  
rīte vocor, perdam, sī mē gemmantia dextrā  
265 scēptra tenēre decet, sī sum rēgīna Iovisque  
et soror et coniunx, certē soror. At, puto, fūrtō est  
contenta, et thalamī brevis est iniūria nostrī.  
Concipit (id deerat !), manifesta que crīmina plēnō  
fert uterō et māter, quod vix mihi contigit, ūnō  
270 dē Iove vult fierī : tanta est fīdūcia fōrmae.  
Fallat eam faxō : nec sum Sāturnia, sī nōn  
ab Iove mersa suō Stygiās penetrābit in undās !’  
Surgit ab hīs soliō, fulvāque recondita nūbe  
līmen adit Semelēs. Nec nūbēs ante remōvit,  
275 quam simulāvit anum : posuitque ad tempora cānōs,  
sulcāvitque cutem rūgīs, et curva trementī  
membra tulit passū ; vōcem quoque fēcit anīlem,  
ipsaque erat Beroē, Semelēs Epidauria nūtrīx.  
Ergō ubi, captātō sermōne, diūque loquendō  
280 ad nōmen vēnēre Iovis, suspīrat, et : ‘Optō,  
Iuppiter ut sit’, ait, ‘metuō tamen omnia. Multī  
nōmine dīvōrum thalamōs iniēre pudīcōs.  
Nec tamen esse Iovem satis est : det pīgnus amōris,  
sī modo vērus is est ; quantusque et quālis ab altā  
285 Iūnōne excipitur, tantus tālisque, rogātō,  
det tibi complexus, suaque ante īnsīgnia sūmat !’  
Tālibus īgnāram Iūnō Cadmēida dictīs  
fōrmārat. Rogat illa Iovem sine nōmine mūnus.  
Cū deus : ‘Ēlige !’ ait, ‘Nūllam patiēre repulsam,  
290 quōque magis crēdās, Stygiī quoque cōnscia suntō  
nūmina torrentis : timor et deus ille deōrum est.’

Laeta malō nimiumque potēns peritūraque amantis  
obsequiō Semelē : ‘Quālem Sātūrnīa’, dīxit,  
‘tē solet amplectī, Veneris cum foedus inītis,  
295 dā mihi tē tālem !’ Voluit deus ōra loquentis  
opprimere : exierat iam vōx properāta sub aurās.  
Ingemuit ; neque enim nōn haec optāsse, neque ille  
nōn iūrāsse potest. Ergō maestissimus altum  
aethera cōnscendit, vultūque sequentia traxit  
300 nūbila, quīs nimbōs immixtaque fulgura ventīs  
addidit et tonitrūs et inēvītābile fulmen ;  
quā tamen ūsque potest, vīrēs sibi dēmere temptat.  
Nec, quō centimanum dēiēcerat īgne Typhō<sup>e</sup>a,  
nunc armātur eō : nimium feritātis in illō est.  
305 Est aliud levius fulmen, cui dextra cyclōpum  
saevitiae flammaeque minus, minus addidit īrae :  
tēla secunda vocant superī. Caput illa, domumque  
intrat Agēnoream. Corpus mortāle tumultūs  
nōn tulit aetheriōs, dōnīsque iugālībus arsit.  
310 Imperfectus adhūc īnfāns genetrīcis ab alvō  
ēripitur, patriōque tener (sī crēdere dīgnū est)  
īnsuitur femorī, māternaque tempora complet.  
Fūrtim illum prīmīs Inō mātertera cūnīs  
ēducat. Inde datum nymphae Nysēides antrīs  
315 occuluēre suīs, lactisque alimenta dedēre.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER TERTIVS

### ECHO AD VOCEM REDACTA

Liriope nympha ex amne Cephiso procreavit Narcissum illum superbum, cui Tiresias vates omnia prospera responso polliticus est, si pulchritudinis suae nullam habuisset notitiam. Hunc igitur cum diligeret septimum decimum annum agentem Echo nympha, neque ullam viam potiundi inveniret, cura ac desiderio iuvenis extabuit, quem extremis vocibus persequabatur fugientem, quod ei incidit Iunonis ira: quia garrulitate sua eam saepe esset morata, ne Iuppiter in montibus persequens nymphas manifesto deprehendi posset. Dicitur Echo se ob deformitatem recondidisse montibus, ne quid eius praeter vocem inspicere posset, quae tamen post eius obitum etiam nunc auditur ab omnibus.

Namque ter ad quīnōs ūnum Cēphīsius annum  
addiderat, poteratque puer iuvenisque vidērī :  
multī illum iuvenēs, multae cupiēre puellae.  
Sed (fuit in tenerā tam dūra superbia fōrmā)  
355 nūllī illum iuvenēs, nūllae tetigēre puellae.  
Aspicit hunc trepidōs agitantem in rētia cervōs  
vōcālis nymphē, quae nec reticēre loquentī  
nec prior ipsa loquī didicit, resonābilis Ēchō.  
Corpus adhūc Ēchō, nōn vōx erat, et tamen ūsum  
360 garrula nōn alium, quam nunc habet, ōris habēbat,  
reddere dē multīs ut verba novissima posset.  
Fēcerat hoc Iūnō, quia, cum dēprendere posset  
sub Iove saepe suō nymphās in monte iacentēs,  
illa deam longō prūdēns sermōne tenēbat,  
365 dum fugerent nymphae. Postquam hoc Sātūrnia sēnsit :  
'Hūius', ait, 'linguae, quā sum dēlūsa, potestās  
parva tibī dabitur vōcisque brevissimus ūsus',  
rēque minās firmat. Tantum haec in fīne loquendī  
ingeminat vōcēs, audītaque verba reportat.  
370 Ergō ubi Narcissum per dēvia rūra vagantem  
vīdit et incaluit, sequitur vestīgia fūrtilim.  
Quōque magis sequitur, flammā propiōre calēscit,  
nōn aliter quam cum summīs circumlita taedīs  
admōtās rapiunt vīvācia sulphura flammās.  
375 Ō quotiēns voluit blandīs accēdere dictīs  
et mollēs adhibēre precēs ! Nātūra repūgnat,  
nec sinit, incipiat, sed, quod sinit, illa parāta est  
expectāre sonōs, ad quōs sua verba remittat.  
Forte puer comitum sēductus ab agmine fīdō  
380 dīxerat : 'Ecquis adest ?' et : 'Adest', responderat Ēchō.  
Hic stupet, utque aciem partēs dīmittit in omnēs,  
vōce : 'Venī !' magnā clāmat : vocat illa vocantem.  
Respicit, et rūsus nūllō veniente : 'Quid', inquit,  
'mē fugis ?' et totidem, quot dīxit, verba recēpit.  
385 Perstat, et alternae dēceptus imāgine vōcis :  
'Hūc coeāmus', ait, nūllīque libentius umquam

respōnsūra sonō ‘Coeāmus’ rettulit Ēchō,  
et verbīs favet ipsa suīs, ēgressaque silvā  
ībat, ut iniceret spērātō braccia collō.

390 Ille fugit, fugiēnsque : ‘Manūs complexibus aufer ;  
ante’, ait, ‘ēmoriar, quam sit tibi cōpia nostrī’ ;  
rettulit illa nihil nisi : ‘Sit tibi cōpia nostrī !’

Sprēta latet silvīs, pudibundaque frondibus ōra  
prōtegit, et sōlīs ex illō vīvit in antrīs.

395 Sed tamen haeret amor, crēscitque dolōre repulsae.

Attenuant vigilēs corpus miserābile cūrae,  
addūcitque cutem maciēs, et in āera sūcus  
corporis omnis abit ; vōx tantum atque ossa supersunt :  
vōx manet, ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

400 Inde latet silvīs, nūllōque in monte vidētur,  
omnibus audītur : sonus est, quī vīvit in illā.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER QVARTVS

### DE MISERA MORTE AB AMANTIBVS PER ERROREM PETITA

Pyramus Babyloensis et Thisbe sua, et aetate et forma aequales, cum in propinquo iuxta se habitarent, per rimam parietis inter se colloquentes, amoris initia didicerunt, vetantibus quamquam parentibus. Constituerunt itaque, ut proxima nocte extra portam ad tumulum quendam sub arborem clam convenirent ad amorem. Nacta occasionem Thisbe, cum prior sub lucem ad destinatum locum venisset, conspectu leaenae exterrita, dimisso amictu, in specum refugit. At fera, cum sitiens ad fontem sepulchro vicinum a recenti decurreret praeda, ore cruento vestem laceravit relictam. Post cuius discessum Pyramus, cum ad eundem locum venisset, et amictum cruore aspersum vidisset, ipsam existimans a fera esse consumptam, gladio sub arbore se interfecit. Deinde metu Thisbe deposito ad eundem locum reversa, causam se adolescentis mortui cum comperisset exstitisse, ne diutius dolori superesset, eodem ferro se traiecit. Vtriusque vero cruore morus arbor, quae foedissimi spectaculi fuerat inspectrix, poma, quae gerebat alba, in conscium vertit colorem.

- 55 P̄ramus et Thisbē, iuvenum pulcherrimus alter,  
altera, quās Oriēns habuit, praelāta puellīs,  
contiguās tenuēre domōs, ubi dīcitur altam  
coctilibus mūrīs cinxisse Semīramis urbem.  
Nōtitiam prīmōsque gradūs vīcīnia fēcit,  
60 tempore crēvit amor ; taedae quoque iūre coīssent,  
sed vetuēre patrēs. Quod nōn potuēre vetāre :  
ex aequō captīs ardēbant mentibus ambō.  
Cōnscius omnis abest ; nūtū sīgnīsque loquuntur.  
Quōque magis tegitur, tēctus magis aestuat īgnis.  
65 Fissus erat tenuī rīmā, quam dūxerat ōlim,  
cum fieret, pariēs domuī commūnis utrīque.  
Id vitium, nullī per saecula longa notātum  
(quid nōn sentit amor ?), prīmī vīdistis amantēs,  
et vōcis fēcistis iter, tūtaeque per illud  
70 murmure blanditiae minimō trānsire solēbant.  
Saepe, ubi cōstiterant hinc Thisbē, P̄ramus illinc,  
inque vicēs fuerat captātus anhēlitus ōris :  
‘Invide’, dīcēbant, ‘pariēs, quid amantibus obstās ?  
Quantum erat, ut sinerēs tōtō nōs corpore iungī ?  
75 Aut, hoc sī nimium est, vel ad ōscula danda patērēs !  
Nec sumus ingrātī : tibi nōs dēbere fatēmur,  
quod datus est verbīs ad amīcās trānsitus aurēs.’  
Tālia diversā nēquīquam sēde locūtī  
sub noctem dīxēre : ‘Valē’, partīque dedēre  
80 ōscula quisque suae nōn pervenientia contrā.  
Postera nocturnōs Aurōra remōverat īgnēs,  
sōlque pruīnōsās radiīs siccāverat herbās :  
ad solitum coiēre locum. Tum murmure parvō  
multa prius questī, statuunt, ut nocte silentī  
85 fallere cūstōdēs foribusque excēdere temptent,  
cumque domō exierint, urbis quoque tēcta relinquunt ;  
nēve sit errandum lātō spatiantibus arvō,  
convenient ad busta Ninī, lateantque sub umbrā

arboris. Arbor ibī niveīs ūberima pōmīs,  
 90 ardua mōrus, erat, gelidō contermina fontī.  
 Pacta placent ; et lūx, tardē discēdere vīsa,  
 praecipitātur aquīs, et aquīs nox exit ab īsdem.  
 Callida per tenebrās, versātō cardine, Thisbē  
 ēgreditur, fallitque suōs, adopertaque vultum  
 95 pervenit ad tumulum, dictāque sub arbore sēdit.  
 Audācem faciēbat amor. Venit ecce recentī  
 caede leaena boum, spūmantēs oblita rictūs,  
 dēpositūra sitim vīcīnī fontis in undā.  
 Quam procul ad lūnae radiōs Babylōnia Thisbē  
 100 vīdit, et obscūrum timidō pede fūgit in antrum,  
 dumque fugit, tergō vēlāmina lāpsa relīquit.  
 Vt lea saeva sitim multā compescuit undā,  
 dum redit in silvās, inventōs forte sine ipsā  
 ōre cruentātō tenuēs laniāvit amictūs.  
 105 Sērius ēgressus, vestīgia vīdit in altō  
 pulvere certa ferae, tōtōque expalluit ōre  
 P̄ramus. Vt vērō vestem quoque sanguine tīctam  
 repperit : ‘Ūna duōs’, inquit, ‘nox perdet amantēs,  
 ē quibus illa fuit longā dīgnissima vītā ;  
 110 nostra nocēns anima est. Ego tē, miseranda, perēmī,  
 in loca plēna metūs quī iussī nocte venīrēs,  
 nec prior hūc vēnī. Nostrum dīvellite corpus  
 et scelerāta ferō cōnsūmite vīscera morsū,  
 ō quicumque sub hāc habitātis rūpe leōnēs !  
 115 Sed timidī est optāre necem.’ Vēlāmina Thisbēs  
 tollit, et ad pactae sēcum fert arboris umbram.  
 Vtque dedit nōtae lacrimās, dedit ōscula vestī :  
 ‘Accipe nunc’, inquit, ‘nostrī quoque sanguinis haustūs !’  
 Quōque erat accinctus, dēmīsit in īlia ferrum ;  
 120 nec mora, ferventī moriēns ē vulnere traxit.  
 Vt iacuit resupīnus humō, cruor ēmicat altē,  
 nōn aliter quam cum vitiātō fistula plumbō  
 scinditur, et tenuēs strīdente forāmine longē  
 ēiaculātur aquās, atque ictibus āera rumpit.  
 125 Arboreī fētūs aspergine caedis in ātram  
 vertuntur faciem, madefactaque sanguine rādīx  
 purpureō tingit pendentia mōra colōre.  
 Ecce metū nōndum positō, nē fallat amantem,  
 illa redit, iuvenemque oculīs animōque requīrit,  
 130 quantaque vītārit narrāre perīcula gestit.  
 Vtque locum et vīsā cōgnōscit in arbore fōrmam,  
 sīc facit incertam pōmī color : haeret, an haec sit.  
 Dum dubitat, tremebunda videt pulsāre cruentum  
 membra solum, retrōque pedem tulit : ōraque buxō



135 pallidiōra gerēns exhorruit aequoris īnstar,  
quod tremit, exiguā cum summum stringitur aurā.  
Sed postquam remorāta suōs cōgnōvit amōrēs,  
percutit indīgnōs clārō plangōre lacertōs,  
et laniāta comās amplexaque corpus amātum  
140 vulnera supplēvit lacrimīs, flētumque cruōrī  
miscuit, et gelidīs in vultibus ōscula figēns :  
'P̄rame,' clāmāvit, 'quis tē mihi cāsus adēmit ?  
P̄rame, respondē ! Tua tē cārissima Thisbē  
nōminat ; exaudī, vultūsque attolle iacentēs !'  
145 Ad nōmen Thisbēs oculōs iam morte gravātōs  
P̄ramus ērēxit, vīsāque recondidit illā.  
Quae postquam vestemque suam cōgnōvit, et ēnse  
vīdit ebur vacuum : 'Tua tē manus', inquit, 'amorque  
perdidit, īnfēlix ! Est et mihi fortis in ūnum  
150 hoc manus, est et amor : dabit hic<sup>c</sup> in vulnera vīrēs.  
Persequar exstīnctum, lētīque miserrima dīcar  
causa comesque tuī : quīque ā mē morte revellī  
heu sōlā poterās, poteris nec morte revellī.  
Hoc tamen ambōrum verbīs estōte rogātī,  
155 ō multum miserī meus illīusque parentēs,  
ut, quōs certus amor, quōs hōra novissima iūnxit,  
compōnī tumulō nōn invideātis eōdem.  
At tū, quae rāmīs arbor miserābile corpus  
nunc tegis ūnīus, mox es tēctūra duōrum ;  
160 sīgna tenē caedis, pullōsque et lūctibus aptōs  
semper habē fētūs, geminī monimenta cruōris.'  
Dīxit, et aptātō pectus mucrōne sub īmum  
incubuit ferrō, quod adhūc ā caede tepēbat.  
Vōta tamen tetigēre deōs, tetigēre parentēs :  
165 nam color in pōmō est, ubi permātūruit, āter,  
quodque rogīs superest, ūnā requiēscit in urnā.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEPTIMVS

### VERSA FIGVRA CONIVNX VXORIS FIDEM EXPERTVS

Narrat Cephalus, legatus Atheniensis, Phoco, Æaci, regis Æginensis, filio, de pulchro iaculo suo, a Procride coniuge, Erechthei, regis Attici, filia, sibi dono dato, quamquam eius prave probaverat fidem: is enim, cum in monte Hymetto Atticae regionis venaretur, ab Aurora dea ob speciem raptus est; illa vero, cum ab eo, uxoris amore nimis implicato, negaretur, fecit, ut, mutata specie, Athenas reversus, uxorem temptaret, num pudicitiam posset puram servare; pluribus itaque rebus comparatis, quibus capi posset, fallacia muneribusque promissis mentem Procridis elicit; quod ut intellexit illa a marito se esse deceptam, pudore exterrita, ut conspectum eius vitaret, altis se recondidit saltibus; at Cephalus, amoris impatientia cum eam absentem ferre non posset, precibus impetravit, ut illa ad eum rediret.

- 690 ‘Hoc mē, nāte deā, (quis possit crēdere ?) tēlum  
flēre facit, facietque diū, sī vīvere nōbīs  
fāta diū dederint ; hoc mē cum coniuge cārā  
perdidit : hōc utinam caruissem mūnere semper !  
Procris erat, sī forte magis pervēnit ad aurēs  
695 Ōrīthŷ<sup>1</sup>a tuās, raptae soror Ōrīthŷ<sup>1</sup>ae.  
Sī faciem mōrēsque velīs cōnferre duārum,  
dīgnior ipsa rapī ! Pater hanc mihi iūnxit Erechtheus,  
hanc mihi iūnxit Amor : fēlīx dīcēbar, eramque  
(nōn ita dīs vīsum est, aut nunc quoque forsitan essem).  
700 Alter agēbātur post sacra iugālia mēnsis,  
cum mē cornigerīs tendentem rētia cervīs,  
vertice dē summō semper flōrentis Hymētī  
lūtea māne videt pulsīs Aurōra tenebrīs,  
invītumque rapit. Liceat mihi vēra referre  
705 pāce deae : quod sit roseō spectābilis ōre,  
quod teneat lūcis, teneat cōnfīnia noctis,  
nectareīs quod alātur aquīs, ego Procrin amābam ;  
pectore Procris erat, Procris mihi semper in ōre.  
Sacra torī coitūsque novōs thalamōsque recentēs  
710 prīmaque dēsertī referēbam foedera lectī.  
Mōta dea est et : “Siste tuās, ingrāte, querellās ;  
Procrin habē !” dīxit. “Quod sī mea prōvida mēns est,  
nōn habuisse volēs.” Mēque illī irāta remīsīt.  
Dum redeō, mēcumque deae memorāta retractō,  
715 esse metus coepit, nē iūra iugālia coniunx  
nōn bene servāset : faciēs aetāsque iubēbat  
crēdere adulterium, prohibēbant crēdere mōrēs.  
Sed tamen āfueram, sed et haec erat, unde redībam,  
crīminis exemplum, sed cūncta timēmus amantēs.  
720 Quaerere, quod doleam, statuō dōnīsque pudīcam  
sollicitāre fidem ; favet huīc Aurōra timōrī,  
immūtātque meam (videor sēnsisse) figūram.  
Palladiās ineō nōn cōgnōscendus Athēnās,  
ingrediorque domum ; culpā domus ipsa carēbat,

725 castaque sīgna dabat, dominōque erat anxia raptō :  
vix aditus per mīlle dolōs ad Erechthida factus.  
Vt vīdī, obstipuī, meditātaque paene reliquī  
temptāmenta fidē ; male mē, quīn vēra fatērer,  
continuī ; male quīn, ut oportuit, ōscula ferrem.

730 Trīstis erat (sed nūlla tamen fōrmōsior illā  
esse potest trīstī), dēsīderiōque dolēbat  
coniugis abreptī : tū collige, quālis in illā,  
Phōce, decor fuerit, quam sīc dolor ipse decēbat !  
Quid referam, quotiēns temptāmina nostra pudīcī  
735 reppulerint mōrēs, quotiēns : “Ego”, dīxerit, “ūnī  
servor ; ubicumque est, ūnī mea gaudia servō.”  
Cuī nōn ista fidē satis experientia sānō  
magna foret ? Nōn sum contentus, et in mea pūgnō  
vulnera, dum cēnsūs dare mē prō nocte pacīscor,  
740 mūneraque augendō tandem dubitāre coēgī.  
Exclāmō male victor : “Ego, ēn, ego fictus adulter !  
Vērus eram coniunx ! Mē, perfida, teste tenēris.”  
Illa nihil ; tacitō tantummodo victa pudōre  
īnsidiōsa malō cum coniuge līmina fūgit ;  
745 offēnsāque meī genus omne perōsa virōrum  
montibus errābat, studiīs operāta Diānae.  
Tum mihi dēsertō violentior īgnis ad ossa  
pervenit : ōrābam veniam, et peccāsse fatēbar  
et potuisse datīs similī succumbere culpae  
750 mē quoque mūneribus, sī mūnera tanta darentur.  
Haec mihi cōnfessō, laesum prius ulta pudōrem,  
redditur, et dulcēs concorditer exigit annōs.’

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEPTIMVS

### VXOR PERPERAM PRO FERA OCCISA

Procris, cum a quodam ambigua vox refrigerantis Cephalo mariti ad eam esset perlata, qui in venatione ex nimio aestu Auram quandam saepius invocaret, per eum errorem eo est adducta, ut viri amoris indubitaret, quamobrem eum feras venantem speculata est virgultis obiecta, ut comperiret ipsa, quoniam esset Aura ista, cuius ille cupiditate impulsus, a se alienaretur. Virgulta vehementius moveri advertens Cephalus, cum latere feram putaret eo loco reconditam, iaculo emisso, non feram sed uxorem interfecit imprudens. Multis post annis Phoco, Æaci filio, de miro iaculo narrans suo, eam memorat fabulam tristem Cephalus ipse:

Hactenus, et tacuit. ‘Iaculo quod crimen in ipso est?’  
795 Phocus ait; iaculi sic crimina reddidit ille:  
‘Gaudia principum nostri sunt, Phoece, doloris:  
illa prius referam. Iuvat, o, meminisse beati  
temporis, Æacidem, quo primos rite per annos  
coniuge eram felix, felix erat illa marito!  
800 Mutua cura duos et amor socialis habebat,  
nec Iovis illa meo thalamo praeferret amori,  
nec me quae caperet, non si Venus ipsa veniret,  
ulla erat; aequalis urebant pectora flammae.  
Sole ferere radios feriente cacumina primis,  
805 venatum in silvas iuvenaliter ire solebam,  
nec mecum famulum nec equum nec naribus acres  
ire canes nec lina sequi nodosa solebant:  
tutus eram iaculo. Sed cum satiata ferinae  
dextera caedis erat, repetebam frigus et umbras  
810 et, quae de gelidis exibat vallibus, auram:  
aura petebatur medio mihi lenis in aestu,  
auram expectabam, requies erat illa labori.  
“Aura,” (recordor enim) “venias”, cantare solebam,  
“meque iuves, intrasque sinus, gratissima, nostros,  
815 utque facis, relevare velis, quibus urimur, aestus!”  
Forsitan addiderim (sic me mea fata traherent),  
blanditias plures, et: “Tu mihi magna voluptas,”  
dicere sim solitus, “tu me reficisque, fovisque,  
tu facis, ut silvas, ut amem loca sola: meoque  
820 spiritus iste tuus semper captatur ab ore.”  
Vocibus ambiguus deceptam praebuit aurem  
nescioquis, nomenque aurae tam saepe vocatum  
esse putat nymphae: nympham mihi credit amari.  
Criminis extemplo ficti temerarius index  
825 Procrin adit, linguaque refert audita susurra.  
Credula res amor est: subito collapsa dolore  
(ut mihi narratur), cecidit; longoque refecta  
tempore se miseram, se fati dixit iniqui,  
deque fide quae est, et crimine concita vano,  
830 quod nihil est, metuit, metuit sine corpore nomen,

et dolet infelix veluti de paelice vera.  
 Saepe tamen dubitat, speratque miserrima falli,  
 indicioque fidem negat, et, nisi viderit ipsa,  
 damnatura sui non est delicta mariti.  
 835 Postera depulerant Aurorae lumina noctem :  
 egredior, silvamque peto, victorque per herbās :  
 “Aurā, veni,” dixi, “nostrōque medere labori !”  
 et subito gemitus inter mea verba videbar  
 nescioquos audisse ; “Veni,” tamen, “optima !” dixi.  
 840 Fronde levem rursus strepitum faciente caduca,  
 sum ratus esse feram, telumque volatile misit :  
 Procris erat, medioque tenens in pectore vulnus :  
 “Ei mihi”, conclamat ! Vox est ubi cognita fidae  
 coniugis, ad vocem praeceps amensque cucurrit.  
 845 Semianimem et sparsas foedantem sanguine vestes  
 et sua (me miserum !) de vulnere dona trahentem  
 inveniō, corpusque meo mihi carius ulnis  
 mollibus attollo, scissaque a pectore veste  
 vulnera saeva ligo, conorque inhibere cruorem,  
 850 neu me morte sua sceleratum deserat, oro.  
 Viribus illa carens et iam moribunda coegit  
 haec se pauca loqui : “Per nostri foedera lecti,  
 perque deos supplex oro superosque meosque,  
 per si quid merui de te bene, perque manentem  
 855 nunc quoque, cum pereō, causam mihi mortis, amorem :  
 ne thalami Auram patiāre innubere nostris !”  
 dixit, et errorem tum denique nominis esse  
 et sensi, et docui. Sed quid docuisse iuvabat ?  
 Labitur, et parvae fugiunt cum sanguine vires,  
 860 dumque aliquid spectare potest, me spectat, et in me  
 infelicem animam nostrōque exhalat in ore.  
 Sed vultu meliore mori secura videtur.  
 Flentibus haec lacrimans heros memorabat.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER NONVS

### DE PERFIDI CENTAVRI CRVORE VENENO CLAM COMMIXTO

Hercules victor, victo Acheloo, eiusdem nominis amnis deo, in patriam rediens, Deianiram novam uxorem, ut Euenum fluvium tuta transveheretur trucem, Nesso centauro commisit. Qui, cum pulchritudine captus puellae in fluminis flexibus quaereret locum comprimendi, illa fidem mariti implorante, sagittis ab eo confixus est. Ne inultus periret, Deianirae vestem dedit sanguine suo tinctam, dicens eam remedium fore erga coniugem deserti amoris; cuius tamen cruor veneno permixtus est Lernaeo. Longo spatio temporis interiecto, rumoribus in dies crescentibus sollicita, deque mariti amore dubitans, Deianira coniugi hanc ad amorem deficientem excitandum misit vestem, quae, cum eam indutus Hercules ad aram accessisset, sacra parans, flamma exarsit, et, Lernaeo veneno contacta, eius haesit visceribus.

At tē, Nesse ferōx, ēiusdem virginis ardor  
perdiderat volucrī trāiectum terga sagittā.  
Namque novā repetēns patriōs cum coniuge mūrōs,  
vēnerat Euēnī rapidās Iove nātus ad undās.  
105 Ūberior solitō, nimbīs hiemālibus auctus,  
verticibusque frequēns erat atque impervius amnis.  
Intrepidum prō sē, cūram dē coniuge agentem  
Nessus adit, membrīsque valēns scītusque vadōrum :  
'Officiō' que 'meō rīpā sistētur in illā  
110 haec,' ait, 'Alcīdē. Tū vīribus ūtere nandō !'  
Pallentemque metū, fluviumque ipsumque timentem  
trādīdit Āonius pavidam Calydōnida Nessō.  
Mox, ut erat, pharetrāque gravis spoliōque leōnis  
(nam clāvam et curvōs trāns rīpam mīserat arcūs) :  
115 'Quandōquidem coepī, superentur flūmina', dīxit,  
nec dubitat nec, quā sit clēmentissimus amnis,  
quaerit, et obsequiō dēferrī spernit aquārum.  
Iamque tenēns rīpam, missōs cum tolleret arcūs,  
coniugis agnōvit vōcem, Nessōque parantī  
120 fallere dēpositum : 'Quō tē fidūcia', clāmat,  
'vāna pedum, violente, rapit ? Tibi, Nesse bifōrmis,  
dīcimus. Exaudī, nec rēs intercipe nostrās.  
Sī tē nūlla meī reverentia mōvit, at orbēs  
concupitūs vetitōs poterant inhibēre paternī.  
125 Haud tamen effugiēs, quamvīs ope fidis equīnā ;  
vulnere, nōn pedibus tē cōnsequar.' Ultima dicta  
rē probat, et missā fugientia terga sagittā  
trāicit. Exstābat ferrum dē pectore aduncum.  
Quod simul ēvulsum est, sanguis per utrumque forāmen  
130 ēmicuit mixtus Lernaēī tābe venēnī.  
Excipit hunc Nessus : 'Neque enim moriēmur  
inultī', sēcum ait, et calidō vėlāmina tīncta cruōre  
dat mūnus raptae velut irrītāmen amōris.  
Longa fuit mediī mora temporis, āctaque magnī  
135 Herculis implērant terrās odiumque novercae.

Victor ab Æchaliā Cēnaeō sacra parābat  
vōta Iovī, cum Fāma loquāx praecessit ad aurēs,  
Dēianīra, tuās, quae vērīs addere falsa  
gaudet, et ē minimō sua per mendācia crēscit :  
140 Amphitryōniadēn Iolēs ardōre tenērī.  
Crēdit amāns, venerisque novae perterrita fāmā  
indulsit prīmō lacrimīs, flendōque dolōrem  
diffūdīt miseranda suum. Mox deinde : ‘Quid autem  
flēmus ?’ ait, ‘Paelex lacrimīs laetābitur istīs.  
145 Quae quoniam adveniet, properandum aliquidque novandum est,  
dum licet, et nōndum thalamōs tenet altera nostrōs.  
Conquerar, an sileam ? Repetam Calydōna, morerne ?  
Excēdam tēctīs ? An, sī nihil amplius, obstem ?  
Quid sī mē, Meleagre, tuam memor esse sorōrem  
150 forte parō facinus, quantumque iniūria possit  
fēmineusque dolor, iugulātā paelice testor ?’  
In cursūs animus variōs abit. Omnibus illīs  
praetulit imbūtam Nesseō sanguine vestem  
mittere, quae vīrēs dēfectō reddat amōrī.  
155 Īgnārōque Lichae, quid trādat, nescia, lūctūs  
ipsa suōs trādit, blandīsque miserrima verbīs  
dōna det illa virō, mandat. Capit īnscius hērōs,  
induiturque umerīs Lernaee vīrus echidnae.  
Tūra dabat prīmīs et verba precantia flammīs,  
160 vīnaque marmoreās paterā fundēbat in ārās :  
incaluit vīs illa malī, resolūtaque flammīs  
Herculeōs abiit lātē dīlāpsa per artūs.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER NONVS

### DE MINISTRA CALLIDA IN MISERAM MVSTELAM MVTATA

Alcmena, Amphitryonis, regis Thebani, uxor, cum ex Iove conceptum Herculem propter Iunonem parere non posset, deam natalem partibus praesidentem imploravit Lucinam. Quam ut vidit pro ostio in ara subsidentem genuaque brachiis manibusque compressa tenentem Galanthis ministra, eo gestu prodigioso suspicata est impedimento esse dominae suae, quominus pareret, quapropter ei mentita est reginam modo partu felicem esse solutam. Et illa perinde exterrita, resolutis imprudens manibus, cruciatu liberavit Alcmenam. Galanthis vero astutiam gravissima poena est prosecuta: nam ea in mustelae figuram conversa est ita, ut ore (quis possit credere?), quo mentita est, pareret. De hac misera quidem famula sed animi tam prompta Alcmena ipsa refert:

285 ‘Namque labōriferī cum iam nātālis adesset  
Herculis, et decimum premerētur sīdere sīgnum,  
tendēbat gravitās uterum mihi ; quodque ferēbam,  
tantum erat, ut possēs auctōrem dīcere tēctī  
ponderis esse Iovem. Nec iam tolerāre labōrēs  
290 ulterius poteram. Quīn nunc quoque frīgidus artūs,  
dum loquor, horror habet, parsque est meminisse dolōris.  
Septem ego per noctēs, totidem cruciāta diēbus,  
fessa malīs, tendēnsque ad caelum bracchia, magnō  
Lūcīnam Nixūsque parēs clāmōre vocābam.  
295 Illa quidem vēnit, sed praecorrupta, meumque  
quae dōnāre caput Iūnōnī vellet inīquae.  
Vtque meōs audit gemitūs, subsēdit in illā  
ante forēs ārā, dextrōque ā poplite laevum  
pressa genu et digitīs inter sē pectine iūctīs  
300 sustinuit partūs. Tacitā quoque carmina vōce  
dīxit, et inceptōs tenuērunt carmina partūs.  
Nītor, et ingrātō faciō convīcia dēmēns  
vāna Iovī, cupiōque morī, mōtūraque dūrōs  
verba queror silicēs. Mātrēs Cadmēides adsunt,  
305 vōtaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.  
Ūna ministrārum, mediā dē plēbe, Galanthis,  
flāva comās, aderat, faciendīs strēnua iussīs,  
officiīs dīlēcta suīs. Ea sēnsit inīquā  
nescioquid Iūnōne gerī, dumque exit et intrat  
310 saepe forēs, dīvam residentem vīdit in ārā  
bracchiaque in genibus digitīs cōnexa tenentem,  
et : “Quaecumque es,” ait, “dominae grātāre. Levāta est  
Argolis Alcmēnē, potiturque puerpera vōtō.”  
Exsiluit, iūctāsque manūs pavefacta remīsīt  
315 dīva potēns uterī : vinclīs levor ipsa remissīs.  
Nūmine dēceptō rīsisse Galanthis fāma est.  
Rīdentem prēnsamque ipsīs dea saeva capillīs  
traxit, et ē terrā corpus relevāre volentem  
arcuit, inque pedēs mūtāvīt bracchia prīmōs.  
320 Strēnuitās antīqua manet ; nec terga colōrem  
āmīsere suum : fōrma est dīversa priōrī.  
Quae, quia mendācī parientem iūverat ore,  
ōre parit, nostrāsque domōs, ut et ante, frequentat.’



## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER VNDECIMVS

### SOMNO DE MORTVO MARITO VXOR CERTIOR FACTA

Ceyx, Cephali nepos, Thessalus rex, prodigiis agitatus, Miletum ad oraculum Apollinis contendit, Alcyonae coniugi, Æoli, ventorum dei, filiae, affirmans intra alterum mensem se reversurum. Quod ut non posset praestare, naufragio vitam amisit. Cuius adventum cum illa desideraret non respondentem tempori destinato, et in dies gravissimo luctu afficeretur, Iuno miserata curavit Morpheum, imitatore[m] illum figurarum, ad eam mittendum, qui Ceycis forma et voce per somnum coniugem nuntiaret interiisse:

650 Ille volat, nūllōs strepitūs facientibus ālīs,  
per tenebrās, intrāque morae breve tempus in urbem  
pervenit Haemoniam, positīsque ē corpore pennīs,  
in faciem Cēycis abit, sūmptāque figurā,  
lūridus, exanimī similis, sine vestibus ūllīs,  
655 coniugis ante torum miserae stetit : ūda vidētur  
barba virī madidīsque gravis fluere unda capillīs.  
Tum lectō incumbēns, flētū super ōra profūsō,  
haec ait : ‘Agnōscis Cēyca, miserrima coniunx,  
an mea mūtāta est faciēs nece ? Respice : nōscēs,  
660 inveniēsque tuō prō coniuge coniugis umbram.  
Nīl opis, Alcyonē, nōbīs tua vōta tulērunt :  
occidimus ! Falsō tibi mē prōmittere nōlī.  
Nūbilus Ægaeō dēprendit in aequore nāvem  
Auster, et ingentī iactātam flāmine solvit,  
665 ōraque nostra tuum frūstrā clāmantia nōmen  
implērunt flūctūs. Nōn haec tibi nuntiat auctor  
ambiguus, nōn ista vagīs rūmōribus audīs :  
ipse ego fāta tibī praesēns mea naufragus ēdō.  
Surge, age, dā lacrimās, lūgubriaque indue, nec mē  
670 indēplōrātum sub inānia Tartara mitte !’

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER VNDECIMVS

### ALCYONE ET CEYX IN AVES SVI NOMINIS MVTATI

Excusso Alcyone sopore ad litus decurrit, unde Ceycem coniugem dimiserat. Quod ut naufragi exanime corpus in proximo litore fluctuans Ceycis esse conspexit, ex improvise in figuram volucris cessit multicolorem, quae ab nomine eius vocatur. Paulo post in eandem speciem coniugis corpus est versum. Has aves hiemali tempore septem per dies in mare placido, Æolo custodiente, nidis incubare suis vult nos docere poeta.

- 710 Māne erat, ēgreditur tēctīs ad lītus, et illum  
maesta locum repetit, dē quō spectārat euntem ;  
dumque morātur ibī, dumque : ‘Hīc retinācula solvit,  
hōc mihi discēdēns dedit ōscula lītore’, dīcit,  
dumque notāta locīs reminīscitur ācta, fretumque  
715 prōspicit, in liquidā, spatiō distante, tuētur  
nescioquid quasi corpus aquā, prīmōque, quid illud  
esset, erat dubium ; postquam paulum appulit undā,  
et, quamvīs aberat, corpus tamen esse liquēbat,  
quī foret, īgnōrāns, quia naufragus, ōmine mōta est,  
720 et tamquam īgnōtō lacrimam daret : ‘Heu ! miser,’ inquit,  
‘quisquis es, et sī qua est coniunx tibi.’ Flūctibus āctum  
fit propius corpus ; quod quō magis illa tuētur,  
hōc minus et minus est mentis sua, iamque propinque  
admōtum terrae, iam quod cōgnōscere posset,  
725 cernit : erat coniunx ! ‘Ille est !’ exclāmat, et ūnā  
ōra, comās, vestem lacerat, tendēnsque trementēs  
ad Cēyca manūs : ‘Sīc, ō cārissime coniunx,  
sīc ad mē, miserande, redīs ?’ ait. Adiacet undīs  
facta manū mōlēs, quae prīmās aequoris īrās  
730 frangit, et incursūs quae praedēlassat aquārum.  
Īnsilit hūc, mīrumque fuit potuisse : volābat,  
percutiēnsque levem modo nātīs āera pennīs,  
stringēbat summās āles miserābilis undās ;  
dumque volat, maestō similem plēnumque querellae  
735 ōra dedēre sonum tenuī crepitantia rōstrō.  
Vt vērō tetigit mūtum et sine sanguine corpus,  
dīlētōs artūs amplexa recentibus ālīs  
frīgida nēquīquam dūrō dedit ōscula rōstrō.  
Sēnsērit hoc Cēyx, an vultum mōtibus undae  
740 tollere sit vīsus, populus dubitābat ; at ille  
sēnsērat, et, tandem superīs miserantibus, ambō  
ālite mūtantur. Fātīs obnoxius īsdem  
tunc quoque mānsit amor, nec coniugiāle solūtum est  
foedus in ālitibus : coeunt, fīuntque parentēs,  
745 perque diēs placidōs hībernō tempore septem  
īncubat Alcyonē pendentibus aequore nīdīs.  
Tum iacet unda maris ; ventōs cūstōdit, et arcet  
Æolus ēgressū, praestatque nepōtibus aequor.

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER DVODECIMVS

### DE FAMÆ DOMO AC SEDE

Singulari depingens verborum ornatu ante oculos ponit poeta domicilium Famae atque officinam, in summo fastigio mundi positam, unde spectatur, quodcumque est uspiam, et omnis sonus auditur. Hic incerti rumores fabulaeque falsae prius colliguntur ac miscentur augenturque, quam perversae dissipantur in terras.

Orbe locus mediō est inter terrāsque fretumque  
40 caelestēsque plagās, triplicis cōnfīnia mundī ;  
unde quod est usquam, quamvīs regiōnibus absit,  
īnspicitur, penetratque cavās vōx omnis ad aurēs.  
Fāma tenet, summāque domum sibi lēgit in arce,  
innumerōsque aditūs ac mīlle forāmina tēctīs  
45 addidit, et nūllīs inclūsit līmina portīs :  
nocte diēque patet. Tōta est ex aere sonantī,  
tōta fremit, vōcēsque refert, iteratque, quod audit.  
Nūlla quiēs intus nūllāque silentia parte,  
nec tamen est clāmor, sed parvae murmura vōcis,  
50 quālia dē pelagī, sī quis procul audiat, undīs  
esse solent, quālemve sonum, cum Iuppiter ātrās  
increpuit nūbēs, extrēma tonitrua reddunt.  
Ātria turba tenet : veniunt, leve vulgus, euntque,  
mixtaque cum vērīs passim commenta vagantur  
55 mīlia rūmōrum, cōnfūsaque verba volūtant.  
Ē quibus hī vacuās implent sermōnibus aurēs,  
hī narrāta ferunt aliō, mēnsūraque fictī  
crēscit, et audītīs aliquid novus adicit auctor.  
Illīc Crēdulitās, illīc temerārius Error  
60 vānaque Laetitia est cōnsternātīque Timōrēs  
Sēditiōque repēns dubiōque auctōre Susurrī.  
Ipsa, quid in caelō rērum pelagōque gerātur  
et tellūre, videt, tōtumque inquīrit in orbem.